

perpetue firmitatis robur obtineat presentem paginam inde conscriptam sigillis nostris roboravimus in testimonium et munimen.

Actum anno Domini M° CC° X° mense augusto.

Cart. du Chapitre de Noyon, f° 190, V°, Arch. dép. de l'Oise,
G. 1984.

IV

1218. — Vente par Guillaume, chevalier, fils de Jean, châtelain de Noyon et de Thourote, de douze bouverées de terre à Deviscourt.

Ego Willelmus, filius domini Johannis, castellani Noviomii et Thorote, notum facio omnibus hec visuris quod dominus pater meus assignavit michi in partem terre totum illud tenementum quod emerat apud Deviscourt, de concessione et assensu domini Guidonis, primogeniti fratribus mei. Processu vero temporis ego nimio debitorum onere propugnatus, duodecim bovaria terre arabilis in eodem tenemento fratribus Ursicampi vendidi precio centum sexaginta librarum Parisiensis monete. Hanc autem venditionem feci de voluntate et assensu atque laudatione domini patris mei, domini que Guidonis, primogeniti fratribus, ceterorumque fratrum et sororum mearum. Hoc nichilominus concessit Beatrix uxor mea, et jus dotalicij quod habebat in pretaxatis duodecim bovariis ex toto quitavit et in manu Walteri presbiteri sui reddidit, qui inde investivit ecclesiam Ursicampi per manum domini Wilardi monachi. Plevivit etiam in manu ejusdem presbiteri quod in predictis nichil in posterum reclamaret, et quod concessionem istam spontanea faceret non coacta. Assignavi autem eidem conjugi mee congruum decambium dotalicij prefati, ad consilium et laudationem amicorum suorum, videlicet alia duodecim bovaria residua memorati tenementi. Hiis adicendum quod totiens memoratam venditionem contra omnes qui ad justitiam et legem venire voluerint per fidei interpositionem juxta usus et consuetudines terre teneor warandire. De hoc etiam dominus Johannes Cosduni, Wermundus de Cessoi, et Petrus de Ribercourt, milites, ad preces meas plegii remanserunt, ea conditione quod si fratres Ursicampi ex occasione facte emptionis, aliquos sumptus fecerint vel dampna increverint, ipsi plegii prisoniam tenebunt, ubi dominus abbas Ursicampi voluerit, donec sibi super sumptibus et dampnis fuerit plenarie satisfactum. Quod ut ratum et in perpetuum maneat et inconcussum, presentem paginam inde conscriptam sigilli mei appensione feci roborari. Actum anno gratie M° CC° XVIII°.

Cart. d'Ourscamp. Ch. CCXXXVII. éd. Peigné-Delacourt, p. 145.